



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De exercitijs monachorum. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

## VITA BONI MONACHI.

Stude, doce cum Augustino,  
De summo bono & diuino.  
Cuius librorum magna copia,  
Illustratur sancta ecclesia.  
Disce mori mundo cum Gregorio,  
Perseuerando in monasterio.  
Porta Iesum cum martyrio,  
Visita agrum in exilio.  
Lætaberis cum doctoribus,  
Si fidem seruas cum moribus.

## CAPVT VI.

*De labore & oratione confessorum.*

**I**Mitare sanctum Benedictum:  
Serua omne verbum tibi dictum.  
Bonum est laborare manibus:  
Melius orare cum fletibus.  
Quare Iesum cum Bernardo,  
Cum Hugone & Richardo.  
In canticis canticorum, & in choro Angelorum.  
In studio clericorum, & in verbis seniorum:  
In commentis magistrorum, & in libris deuotorum.  
Premiaberis cum confessoribus:  
Si abnegaueris te in omnibus.

## CAPVT VII.

*De extirpatione vitiorum.*

**C**Aue curiosa legere,  
Quæ possunt mente distrahere  
Stude vitia tua cognoscere,  
Et viriliter eis resistere:  
Ambula cum simplicibus adhære innocentibus.  
Benefac tibi contrario, supplica pro aduersario.  
Et eris charis Dei filio, ac dignus sanctorum consortio.

## CAPVT VIII.

*De exercitijs Monachorum.*

**M**Onachorum est orare, gemiscere, & plorare pro suis des-  
titibus.  
Carnem suam castigare, vigilare, iejunare à voluptatibus.  
Linguam refrenare, aures obturare à vanitatibus.  
Oculos custodire, pedes pre munire ab excursibus.  
Manibus laborare, labijs exultare, corde iubilare, in Dei lau-  
dibus.  
~~C~~aput denudare, bassè inclinare, genua curuare crucifixi pedi-  
bus.

Promptè



Promptè obedire, nunquam contra ire suis maioribus:  
 Libenter seruire, citò subuenire infirmis fratribus.  
 Curas mundi abijcere, cælestibus intendere totis conatibus.

## CAPVT IX.

*De corona & premio Monachorum.*

**N**E vincaris à dæmonio, omnia fac cum consilio, & non facilè errabis.  
 Nescis enim quamdiu hîc eris, certum est quòd morieris, nunquam tameñ desperabis.  
 Esto internus, deuotus Deo totus, mundo ignotus, & eris semper latus.  
 Multum tibi vilis & despectus, fratri tuo pius & subiectus, matrus & facetus.  
 De bonis Deo da gloriam.  
 Et de malis pete veniam, omnem remittens iniuriam.  
 Sicque per Dei gratiam, peruenies ad patriam,  
 Post huius vitæ miseriam.  
 Vbi Iesus & Maria, in summa gaudent gloria, cū tota cæli curia.  
 Ad quam nos post multa pericula, perducat agnus sine macula.  
 Cui laus per æterna secula. Amen.

## CANTICA SPIRITALIA.

## CANTICVM I.

*De laudibus sanctorum virginum.*

**F**A Ma IESVM cum Agnete;  
 Magdalenam lauda lâtè,  
 In hymnis & canticis.  
 Agatham sanctam venerare;  
 Luciam passam imitare :  
 Quantum dignè sufficis,  
 Barbaram ora cum Balbina;  
 Cæciliam ora cum Christina,  
 Totis ex præcordijs.  
 Catharinam cum Sabina,  
 Margaretam cum Martina,  
 Lauda magnis gaudijs.  
 Iulianam cum Iustina,  
 Cuneram cum Euphrosyna,  
 Iubila in organis.  
 Dorotheam cum Eugenia.

Ecc 3

Petro-